

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 248

ADRIANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DIE DILECTIS FILIIS WIBALDO
STABULENSI ABBATI EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRESENTIBUS QUAM
FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM. Quotiens illud a nobis
petitur quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere
et potentium desideriis congruum impartiri suffragium. Quapropter, dilecte in Domino fili,
tuis justis postulationibus clementer annuimus et prefatam ecclesiam, cui Deo auctore,
preesse dinosceris, ad exemplar predecessorum nostrum felicis memorie CELESTINI,
LUCII et EUGENII Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione
suscipimus et presentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascumque
possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice
possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione
fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque
successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis
: Malmundarium videlicet, quod sicut ab initio fundationis sue fuisse dinoscitur, semper
subditum sit Stabulensi loco, monachi vero ipsius loci Stabulaus professionem faciant, et
ubi abbas providerit benedicantur et ordinentur, nec pro eodem loco Stabulensis abbas, qui
pro tempore fuerit, cogatur Coloniensi archiepiscopo obedientiara promittere vel animarum
curam ab ipso suspicere; castellum quod Longia vocatur, prohibentes quod nullus
advocatus ibi aliquid sibi usurpare presumat; ecclesiam in Sprimunt, in Heirant, in
Turnines, in Hobosanmunt, in Oseis, in Graides, in Aldendorph, in Amplavia, in Tumbis, in
Clotena ; villam Germiniacum et duo molendina [superfluvium] Suppiam, villam Tomines,
villam Sprimunt, Lukesenges, Vilippe, Tavernon, Husenebach quam dedit vobis liber
homo Godefridus. Ordinationes autem ecclesiarum et decimationes earum, sicut hactenus
habuistis, vobis nichilominus confirmamus, statuentes ut in parochialibus ecclesiis quas
tenetis nullus episcopus absque abbatis assensu presbyterum collocet, sed juxta decretum
predecessoris nostri bone memorie pape URBANI, episcopi parrochie curam cum abbatis
assensu sacerdoti committant, ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura episcopo
rationem reddant, abbati vero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus
debitam subjectionem exhibeant. Prohibemus quoque ut in possessionibus ejus monasterii
nullus variam vel maioriam aut villicationem hereditario seu feodi jure per successionem
teneant, sed in potestate habbatis sit ordinare, et cum oportunum cognoverit immutare;
securitatem etiam et libertatem in circuitu ipsius monasterii infra leugam, sicut a regibus
sive imperatoribus rationabili providentia concessum est, nullus presumat infringere. Idem
vero monasterium tertium advacatum non habeat, sed juxta antiquam consuetudinem duos
tantum quorum primus advaciam o eum banno de manu regum vel imperatorum accipiat,
alter autem qui de manu primi advacati beneficium acceperit, bannum a regibus vel
imperatoribus accipiat; nec liceat eis in possessionibus vel personis monasterio
pertinentibus hospitia, placita, precarias, exactiones facere, non palefridos tollere, non
freda, non redhibitiones, non consuetudines que mortue manus vulgo appellantur exigere,
sed sicut in scriptis regum vel imperatorum continetur, ad jus et ordinationem abbatis
pertineant. Ministeriales vero cum ad festa monasterii convenerint, nullum servitium aut
pastum exigant, nisi quantum abbas rationabiliter eis providerit impendendum. Addentes
etiam auctoritate apostolica interdicimus, ut abbatia ipsa nulli in beneficium vel
concambium detur, nec a laico umquam regatur, nec liceat abbatii qui pro tempore fuerit

possessiones vel bona ipsius in feudum vel in pignus alicui dare, nec ullam prorsus commutationem vel quamlibet alienationem absque communi capituli consilio exinde facere; prohibentes ut in castello quod Longia vocatur nullus advocatus aliquid sibi usurpare presumat, sed in dispositione abbatis omni tempore permaneat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatte vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia preponatur, sed liceat vobis communi consilio vel partis consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam absque ullius contradictione, abbatem eligere. Crisma quidem, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, abbatis benedictionem et monachorum ordinationem qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diocesano episcopo suscipiatis, si quidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem sedis apostolice habuerit, et ea gratis et absque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere, alioquin liceat vobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Porro abbas qui pro tempore eidem loco prefuerit ad nullius nisi diocesani episcopi vel Romani pontificis seu legati a latere ejus missi synodus ire cogatur. Presbiteri autem sive clerici qui in vestris ecclesiis deserviunt debita et consueta vobis servitia absque ulla contradictione persolvant. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotione et extreme voluntatis qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis aeccliae. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu modis quibuslibet fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostro constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxent, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hii fructum bone actionis percipient et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. AMEN. AMEN. AMEN.

(L. R.) Ego Adrianus catholicae aecclie episcopus ss. (L. M.)

- + Ego Ego Hubaldus presbyter cardinalis titulo sancte Praxedis ss.
- + Ego Manfredus presbyter cardinalis titulo sanctae Savinae ss.
- + Ego Julius presbyter cardinalis titulo sancti Marcelli ss.
- + Ego Octavianus presbyter cardinalis titulo sancte Ceciliae ss.
- + Ego Henricus presbyter cardinalis titulo sanctorum Nerei et Achillei ss.
- + Ego Guido diaconus cardinalis sancte Marie in Porticu ss.
- + Ego Johannes diaconus cardinalis sanctorum Sergii et Bacchi ss.
- + Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctae Mariae in Via lata ss.
- + Ego Odo diaconus cardinalis sancti Nicholai in carcere Tulliano ss.

Datum Sutrii per manum Rolandi sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis et cancellarii, XVI kalend. junii, inductione III, incarnationis dominicae anno M° C° LIII, pontificatus vero domini ADRIANI pape IIII anni I.